

(X 2018970)



Pfanner
Epistola



m
ab
fe



EPISTOLA
T. PFANNERI
CONSIL. AUL. SAX.
AD
AMICUM.

Tanta est majestatis sacræ & tam tremenda reverentia, ut non solum ea, quæ ab aliis contra religionem dicuntur, horrere, sed etiam ea, quæ pro religione nos ipsi dicimus, cum grandi metu ac disciplina dicere debeamus.

Salvian. de Provid. Lib. 1.

VINARIÆ.
clō lōc xcvii.

yc 418⁹ QR

26. 4. 06.



ACcepi, amicorum optime, quam nuper admodum mihi dono miseram orationem, qua Eminentissimo LOTHARIO FRANCISCO, Principi Electori, Moguntiaci atque Bambergæ Antistiti, de duplici Infula Jenæ, pro concione Academica, haud ita pridem gratulatus est, primariæ ex equestri Franconiæ ordine nobilitatis Juvenis, *Alexander Henricus Redwitzius*; quo obsequio Principem tanti fastigii, quantisque studiis literas coleret, Viro Nobili dignas, una eadem operâ luculenter testatus. Et verò non ea seculi nostri inhumanitas est, qua auribus animisque minus æquis feramus laudes Principis, alienam quamvis sectantis religionem, & quod invidiosius multò cenferi potuerat, primi Romanæ Ecclesiæ post Rom. Pontificem in Germania Præsulis. Eò tandem benignitate Numinis rediere res Nostræ, positis aut remissis, qui quondam Germaniam agitavere, animorum motibus, atque de fide in summum Principem patriamque honestissima utilisimâque contentione maximè invicem certantibus Evangelicis, Catholicisque; uti horum etiam virtutes, merita, atque officia in Remp. quando ita fert occasio, vel celebremus ipsi, aut ab aliis celebrari lubentes patiamur. Et quis vitio vertat Nobilissimæ gentis juxta atque indolis Juveni, si is publicis laudibus votisque prosequendum sibi censuit Principem, primæ post Cæsarem in Germania dignationis, & cujus quod erga hunc obsequium, quæ in patriam pietas, quod asservandæ redintegrandæve inter ordines diversarum Religionum conditionumque concordie studium, quæ denique aut virtus aut fortuna, ad ipsam reipublicæ salutem haud parum interesse certissimum est; ut adeò ad nos quoque pertingat, quo ingenio, quâ industriâ, quibus moribus sint, quos tantum ad culmen suffragio suo evehant, queis in eare suffragii Jus atque facultas est. Et quidem non semper errare fortunam, sed & eligere aliquandò, vel hoc exemplo compertum est, designatione inquam Prin-

cipis, omnibus, quæ tantam fortunam decent, virtutibus egregiè instructi, atque adoptantium Judicio consensu pariter ac vittutum meritorumq; prerogativâ monstrati. Et quis arguat, quis non excuset potius, imò quis non laudet pietatem generosi Juvenis, suum in Principem, affectum publico officio profesli, vel ipso forsan clientelæ (*Vasallagii*) nomine venerandum, aut etiam (quæ gentis Redwitzia nobilitas est, nulli ex equestri Germaniæ ordine impar) ipsâ fortean cognationis quâdam vel affinitatis necessitudine nexuq; conjunctum. Atq; ita favore bonorum non uno nomine dignus paratam, (nostro equidem judicio) habebit veniam, si quæ Principis ad venerationem toto animo cõverso, de religione minus commodè quædam excidère, talium aut minus adhuc gnaro, aut minus curiosiori.

Et verò ut inde, unde is ipse, exordiamur; mirum, si Evangelicis etiam mitioris ingenii cuncta probentur, quæ de Episcopatum in Germania sanctitate, majestate, atque utilitate, uti diceret, Nobilissimo Oratori in mentem venere. Non equidem consilii nostri, aut instituti, aut etiam indolis est, odiosius inquirere aut revocare in memoriam, quàm benè Principatui cum Sacerdotio conveniat (queis post Christi saltem præcepta, (a) pessimè inter sese convenire, etiam Eugenio suo occinuit Bernhardus, (b) (Vir Sanctissimus, atque Apostolico Seculo dignus,) aut quatum mali ab Episcopis, in Pontifices Romanos, quàm Cæsares obsequio promptioribus, passatolim res Germana, aut etiam (quod equidem maximè hîc commemorari potuerat,) quæ inde sanctiori religioni labes, quantum *papatui* adeò nostris exso, incrementum, robur atque decus accesserit. Is jam Germaniæ status, ea facies, ista denique conditio est, uti à facinore aut parum, aut nihil absit, ordinem eminentissimum, tamque illustrem Germaniæ partem, vel disputando laceßere velle, cujus fortunam, dignitatem, atque res ad formam pactionum publicarum fartas tectasque esse ad firmitu-

(a) Matth. XX. 26.

(b) Ita is post recitata ista Christi præcepta ad Eugenium suum. *Planum est. Apostolis interdicitur dominatus. I ergo tu, & tibi usurpare aude, aut dominans Apostolatam, aut Apostolicus Dominatum. Forma Apostolica hæc est, dominatio interdicitur; indicitur ministratio.* de Confid. serm. 2. col. 1021.

mitudinem quietis, & (quæ quiete atque tranquillitate maximè custoditur,) incolumitatem Reip. refert. Neque aut dissimulare lubet, aut inficiari fas est, plurimos ex isto ordine extitisse, atque extare etiam nunc, qui rem publicam Germaniæ egregiis officiis juverint, ornarintque, fidei in summum principem atque communem erga patriam caritatis laude insignes. Attamen rempublicam Principesque diversæ quamvis religionis, rempublicam tamen salvam incolumenque volentes præstantesque quantumvis amanti colentique, etiam suæ religionis non negligenda erat reverentia, neque ita extollenda ista aut regendarum provinciarum, aut ecclesiarum moderandarum ratio, ut nostræ penitus causæ, disciplinæ nostræ, Nostræ denique existimationis planè dememinisse videamur. Notissima est Nostratibus, talium non usque quaque imperitis, quæ de Episcopatibus Episcopisque Germaniæ Lutheri sententia fuerit. Cujus eò usque saltem retinenda fuerat veneratio, ne iudicio suo non audaciæ tantum, sed & improbitatis arguisse illum censerentur, qui laudibus tam invidiosis extulere rem adeò isti improbatam. Et quo animo, qua impatientia tulisset Vir, ingenii sanè aliquantulum acrioris, si Wittenbergæ præsentem atq; audientem ipso pro concione dicere quisquam sustinisset, *in Episcopis Romanæ Ecclesiæ addictis (Ordines eminentiores, nescio qua cæterorum cum pace appellat generosus Oritor,) divinam majestatem aliquem sublimitatis radium elucere voluisse, aut candelabro illi sacro, quod eodem Hierosolymorum sanctissimam exornabat, nitore suo per adyta sacra lucem spargenti comparari,* quos in aliò prorsus habuisse loco Lutherum, non istum, cujus ductu juveni nobilissimò usus est, latere potuerat. Illud fortean animo æquiori tulisset Lutherus, pietatem Præfulum istorum *Augurum atq; Pontificum Rom. præliævi pietati comparari, aut anteponi etiam, cum quorum sanctitate equalem istorum conferri integritatem, cum injuria horum conjunctum cense potuerat.* Quæ enim laus est, Præfulè qualemcunq; Christiana Sacra præfessum, Auguribus, Flaminibus, aliisque Gentilis superstitionis ministris non deteriolem, aut etiam paulò sanctiorem haberi?

Istud altius penetrat religioniq; (si talibus effatis res nostra staret,) periculosius, quod inter alia rei civilis pariter atq; sacræ ab Eminentissimo Principe benè atq; feliciter gestæ monumenta cura ejus celebratur, *ut cultus supremo Numini debitus, rectè ubique institueretur atq; servaretur.*

retur. Equidem suo quodam modo etiam in Muhamedano ipsive Gentilibus laudare licebit qualemcunque Numinis reverentiam, huiusque colendi institutum voluntatemque, ab ipsa recti cultus ratione, disciplinaque sanctiori, quantumvis exerrantem. Et quis ambigat, minus erga Deitatem sese præbere inofficiosos, qui quocunque malo suo fato atque errore abrepti, qualicunque tamen divinitatis veneratione Numen, si non ritè atque ex ordine, eo tamen colunt animo, quo huic placere posse confidunt; quam quos nulla tangit religio, Deorum planè immemores aut incuriosi. Et sanè tolerabilius minorque divinitatis injuriâ superstitione, quàm Atheismo laboratur, quæ etiam apud Gentiles infrequentissima (humanae quippe improbitatis modum egrediens) labes fuit. Quanto minus succenseas homini, Principis pietatem prædicanti, in ornandis sacris non quidem omni carentibus vitio, ad formam tamen Christianæ disciplinæ, si non unde quæ exactis, utcunque tamen atque aliqua ex parte compositis. Ita Principis in religione quamvis minus recta sollicitudinem atque studium, etiam à Nostratibus collaudari haud agrè laturus, tantum non nefas crediderim, eam laudandi istius inire viam, atque rationem, ut cultus supremo Numini debitus, curâ istius rectè institutus atque servatus diceretur.

Et verò quis, obsecro, Evangelicorum etiam lenioris indolis atque ad dandam erroribus veniam minus difficilioris, quotusquisque, inquam, Evangelicorum æquo animo, imò absque indignatione audiatur Evangelicum, publica atque solenni Oratione apud Evangelicos Sacra Rom. tanquam rectè instituta, & quæis supremum Numen ritè coleretur, prædicare sustinentem? Quisquamne etiam ultima ex face Vulgi inter Nostrates adeò religionum, quæis Germania expescitur, regiturque, ignarus est, ut cultum, quo sibi propitiari posse DEUM putant Rom. Ecclesiæ sectatores, pluribus, iisque interrandis vitiis laborare, non sibi persuasissimum habeat? quorum vti solo adspectu sese contaminari posse, etiam summæ dignitatis præeres Nostris Sacerdotibus addicti quondam existimavêre. Notissimum est, qua religione impediti Joannes Saxo, Philippus Cattus, aliique Comitibus cl. I. xxx. Augustæ celebratis deprecati sint officium, Cæsari, civile quidem nihilque ad ipsam religionem pertinens, ad sacra tamen ituro Principi, atque

atque inter sacra more Rom. facienda præstandum. Quemadmo-
 dum etiam Spiræ clō DIXLIII. Joannes Fridericus Saxo, cum Catto Im-
 peratorem ad templum tendentem, ut, quæ relatione ad ordines
 (Reichs-Tags Proposition) exorsurus esset Comitia, sibi, senatui, po-
 puloque benè ac feliciter evenirent, ritu suo, Romano scilicet, Cœli-
 tes exoraturum, incomitarum dimisit, Cæsarem ex templo reversurum
 in Curia præstolatus, suo isthïc demum erga Principem functurus offi-
 cio. Ita Ferdinando Augustæ, clō IOLV. justa defunctæ matri more
 itidem Romano (Vigilien und Seelen-Messe) persoluturo fratrum Sa-
 xonicorum, Jo. Friderici atque Jo. Guilielmi Legati, Eberhardus
 Thannius (von der Thann) atque Lucas Thangelius, equestris uterque
 nobilitatis, juxta cum aliis Principem ad sacra progressurum comitari
 jussi, ad templum usque hunc prosequi se posse nihil violata religione
 arbitrati, ipsis Sacris, quamvis iterum Regis nomine verbisque, ne ab-
 scederent, rogati abstinere, religiosum sibi esse dictitantes, ceremoniis
 interesse, Romanam ad formam peragendis. Neq; tamen hisce contenti
 Principes, Patre Electore in colenda tuendaque religione quamvis cum
 discrimine rerum suarū nihilo frigidiores, Legatos objurgavere, quilibet
 extra templi adyta (dem Chor) in templo tamen aliquantisper, quoad
 Sacra cœptarentur, (in porticibus deambulantes) commorati fuissent.
 Paucisque post annis Ferdinando eodem erga fratrem Carolum pieta-
 tis, (si saltem animo rem æstimes,) persoluturo officio, Legatos Chri-
 stopheri Würtembergii, uti Cæsarem ad ædem usque sacram prosequer-
 entur, ab hero jussos, ne sacris exequialibus adessent, vetuit Princeps
 religiosus, Numinis juxta iras atque offensam hominum eadem secum
 sacra colentium veritus.

En! quàm toto animo averfati Rom. sacra sint præcipuæ inter
 Nostros dignationis Proceres, imprudentiæ utique, temeritatis, im-
 probitatis, imò impietatis extremæ à crimine non immunes, si sacra
 rectè instituta, ne oculis quidem usurpare se suosve, sustinuerunt. Im-
 prudentem sanè, temerarium, improbum, & (quod omnium deterri-
 mum) impium esse oportet, qui DEum rectè ritèque coli se præsentem
 pati nequeat, neque tolerandum sibi existimet, eodem quo ipse adsit
 loco, sacra rectè instituta obiri. Non nostrum est, ire per singula, &
 quantum in cultu Rom. Ecclesiæ, (Nostratum saltim sententiâ) pec-
 cetur,

cetur, exemplis ostendere. Nemini non cognitum est, qua superstitionis atque idololatriæ totus ista Romanensium Cultus apud Nostros laboret infamiâ. Taceo cætera. De unico Corporis Christi sacrificio, quo vivis mortuisque DEum placari posse pro compertissimo habent Pontificii, (*Missam* communissimo vocabulo atque pueris noto appellant,) quod Nostratum Judicium sit, quid multa imò vel minimum dicere attinet? Ut mittam alios, quos post Lutherum Ecclesia nostra Doctores habuit atque Antistites, quàm præclare de ea senserit Lutherus, Nostrorum Princeps, atque Antesignanus, ne referre quidem, aut consilium nobis, aut necessitas est. Quis enim Christianorum in sacra Isiacâ, Sabaziorum, Cybeles, Corybantia, Orgia Bacchi, & quas paris superstitionis impietatisve Ceremonias Gentiles servavere, si adhuc superessent, inveheretur acerbius, quam in *Mausiacâ* ista sacra Lutherus invectus est? Atque hisce (*Missæ* inquam,) Sacris maximè destinatas dedicatasq; esse ædes, quas *adinvidiam vetustatis meliores nitidioresque refectas renovatasve, vel etiam novas novis subinde locis superstructas* gaudet Redtwizius, lætatus etiam Sacrorum Pontificiorum Mystas non fame tabescere, nunquid non omnium certissimum est? Atque hæc paulo curatius pensitanti mihi suborta dubitatio, ex animi sententia hæc dixerit Orator, an ea mens huic fuerit, ut primam eminentissimi Principis curam in eo quidem versari fateretur, qua cultui divino rectè instituendo atque servando, quantum possit, consulere, successu tamen vano irritoque; neque Consilio pietatique animi respondente. Atque salvâ religionis nostræ causâ isto sensu illa dici potuerant; non tamen (vereor) Eminentissimi Antistitis Pace atque gratiâ salvâ. Nunquid enim non istud foret, Principi primæ dignitatis atque à Cæsare in Germania secundo, cujusque honori tota Oratio nuncupata, illaudabili verborum arte, neque homini cuicumque ingenuò approbanda excusandave illudere?

Ad ipsum Pontificem Rom. properanti occurrit pallium Archiepiscopale, tantum Generoso Oratori visum, ut *ad Sacri officii executionem istud necessarium maximè* pronunciare suscipiat. Pallium, inquam, rem, si ipsam spectes, mercium, quæ venum uspiam prostant, vilissimam, & cujus nundinatione, omnium, quæ foro etiam Vulgari à Seplasiariis tabernariisque exercentur, propudiosissima, ambitioni tan-

tantum suae atque avaritiae, omnem humanae aviditatis modum supergressae, consuluisse Pontifices Rom. privatis plerosque quaestibus intentos deditosque, (qualis etiam is, quem nunc Regem sacrificulum Romana habet Ecclesia, Innocentius, Alexandro, qui nuper ante hunc fuit, quam Innocentio, post quem Pontificatu Alexander functus est, Viro, omnium quoque post Gregorium M. Ecclesiae Rom. praefuerunt, optimo sanctissimoque, similior,) ne ipsi quidem dissimulavere Pontificii, suos inde dolores etiam anteaceptam à Luthero Ecclesiae emendationem publica testatione professi. Et quanti vel soli Moguntiaci constiterit pallium istud, unius intra hominis vitam octies, (nunquam xxxc. aur. vilis) emercandum comparandumque, observaverunt, (c) qui emolumenta Aulae Rom. Germaniaeque dispendia innumerato habuere. Atque turpissimi hoc mercimonii genus inter homines ingenuos, ne dicam Evangelicos, laudari, aut commendari, aut excusari etiam quis quaeso horum non ferat aegerime? Imò quis non execretur pravitatem hominum, lanam tantum non caprinam pretio tam immenso venditantium? Aut quis Nostratum, ingenii paulò latioris, non rideat totam lanificii istius atque Texturae Pontificiae fabulam, officina scilicet Romanam dignissimam? Ex qua equidem quid aliud speres exspectesve, quam extruendae firmandaeque potentiae, atque emungendarum pecuniarum extorquendarumve subsidia. Et ne sorderet tantae vilitatis, si materia suam externamque specie aestimares, pallium, attexenda erat mysticae significationis purpura, ex ingenio nimirum Aulae Rom. ad comminiscenda talia atque effingenda solertissimae, & quam mireris non etiam stercore suum talibus commentis fecisse pretium; rei ad foecundandos agros hortosque utilissimae, cujusque similitudine causa in sacra anima; ad salutem spectante, uti ne ipsum quidem puduit (d) Servatorem. Atque hisce artibus officinae faciendae erant, magnae nobilissimaeque Christianae orbis parti, nemini sane, (quod meminim) eò usque Evangelicorum laudatis.

Sed verò quis miretur praedicari haec ab istis, qui Pontificem Rom. **SUPREMUM ECCLESIAE CHRISTIANAE CAPUT**, di-

B fertis-

(c) Luther. vom Palsthum zu Rom / wieder den Romanisten zu Leipzig / non longe à princ. Tom. I. Jen. Germ. fol. 201.

(d) Luc. XIII. 6---9.



fertissimis profitentur verbis, etiam literis, iisque grandiori formâ expressis; quò nimirum diuturnior extantiorque etiam ad alios ipsamque posteritatem rei insolentissimè gestæ superesset memoria. Et quis credidisset, talia inter Evangelicos ab ipsis Evangelicis dici, quorum primùm præcipuumque doctrinæ à doctrina Ecclesiæ Rom. disidentis caput est, Pontificem Rom. *Anti-Christi* potius, aut aliò quovis quàm capitis Ecclesiæ Christianæ, loco atque jure habere.

Non nunc anquiritur disceptaturve, quo Jure quâve Injuriâ à primordiis nascentiis Ecclesiæ ad Lutheri usque ævum principatum Ecclesiæ aut affectarint, aut invaserint, exercuerintve Præsules Romani; utrum divino, an humano, quicquid hujus fuerit, isti sibi vindicaverint; quò denique usque progressa sit quondam Nostratum modestia, intolerando pontificatu Rom. si intra terminos, nostræ saltem rei congruentes redigi aut contineri iste potuisset.

Istud ad rem, qua de hîc agitur, maximè spectat, supremum Ecclesiæ caput, qui dici queat Pontifex Rom. eo rerum Statu, quo ab Ecclesia Rom. ejusque Principe jam pridem secessionem fecêre nostri; secessionem uti facerent, sive pertinaciâ hujus atque Tyrannide, sive ipsa veritatis religionisque emendationis necessitudine officioque adacti; ad istum, ne si vellet quidem admitteretque, unquam postea reversuri. Et verò quid multa dicere opus est? Impios, perduelles, Christianos sine capite (*ἀκεφάλους*) adeòque monstra potius hominum Christianorum, quàm homines Christianos, alienos denique à Corpore Christi (Ecclesia inquam Christiana) esse oportet Evangelicos, si Christianæ Ecclesiæ caput Pontifex est, quem tanto odio, contemptu tanto, tanta detestatione isti prosequuntur. Inter argumenta haud postrema innocentia suæ sanctitatisque retulere Christiani, (e) proximi post natam Ecclesiam ævi, quòd Principum etiam Gentilium, & quòd maximum est, Christianæ religioni infensissimorum salutem felicitatemque publicis nihilominus privatisque precibus Numini ipsi commendarent. Quanto istis improbiores nostri, imò omnium scelestissimi, Pontifici Rom.

(e) *Justin. M. Orat. 2. pro Christian. Tertull. Apolog. c. 30. 39. Athenag. Orat. pro Christian. infra. Arnob. cont. Gent. Lib. IV. sub fin.*

Rom. (Christianæ Ecclesiæ Principi,) non minus atque Turcæ mala quæque publicè imprecari, uno eodemque (f) carmine soliti? Papatum ad malum genium autorem retulisse Lutherum, (g) notissimum est. Quo non præclarius nostrates, Lutherum ducem sequuti, de Rom. Pontifice sensere; non aliâ huic ratione Principatum Ecclesiæ permissuri, quàm qua super omnia divina exporrecturum superbissimum caput, atque in templo DEI ipsas DEI partes potestatemque invasurum illum Paulus, futurorum haud ignarus, (h) prædixerat. Et quis Evangelicorum cujuscunque ordinis, conditionis, sexûs, ætatis, (talium utcunque capacis) persuaderi sibi patiatur, Pontificem Rom. (plerisque cane pejus atque angue exosum) Capitis Ecclesiæ Evangelicæ loco habere? quod si persuaseris cuiquam, totum quicquid quantumque est Papatûs, persuasisse necessum sit. Paucis; descivit à suis, aut desciscere voluisse videri potest, quisquis Evangelicorum isto in fastigio Rom. Pontificem collocat.

Atque rebus ita comparatis, quis (iterum atque iterum rogo,) speravisset, fore, ut media in Ecclesia Lutherana ab Evangelicis, atque inter Evangelicos pro concione Academica *Caput Ecclesiæ Christianæ* renunciaretur *Pontifex Romanus*, invisum (si quid Evangelicorum Judicii est) Diis caput, sanctiorique religioni, (si modò nostra talis est,) omnibusque, quotquot istam sectantur, infestum. Et fateor, dubitasse me aliquantum, Jenæ ista contigisse; Jenæ, inquam, in Academia non aliis magis ac divinarum literarum Studiis excolendis, atque asservandæque religionis nostræ, asserendæque adversus Pontificiorum maximè errores integritati optimorum Principum consilio votisque destinata. Sed dubitare non diu passus est GEORGIUS SCHUBARTUS, Jctus, atque Historiarum & Eloqu. Professor, hæc omnia se duce ab Juvene Generosissimo dicta fuisse solenni proscriptione, qua ad talia audienda rogari, convocarique solent Proceres, atque Cives Academici, satis testatus. Omitto nunc alios; ad quos potissimum spectabat, nihil pro concione Academica dici, aut si istud præ-

B 2

videri

(f) Erhalt uns Herr bey deinem Wort/te.

(g) Wieder das Pabstthum zu Rom/ vom Teufel gestiffet. Tom. ult. J. G.

(h) 2. ad Thessal. II. 5. 4.

videri non poterat, saltem præli beneficio non ad posteritatis propagari atque custodiri memoriam, quæ salvâ religionis nostræ causâ dici haud posse, manifestissimum est. Omitto inquam istos.

De SCHUBARTO hîc nunc anquiritur. In hunc enim maximè recidit, quicquid ab *Redwitzio* incommodius dictum scriptumve est, atque à religione nostra haud paulò alienius; quem Juvenili incuriâ licentiâve longius evagantem continere atque redigere in ordinem, istum decuerat. Ope, consilio, consensuve aut denique tolerantia suam fecit SCHUBARTUS, quam non prohibuit, cum prohibere poterat, illatam Evangelicæ Religioni injuriam. *Faciens (i) proculdubio culpam habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare. Quomodo (k) enim sine erroris suspicione sit, (atq; consortio) qui patientiam præstanda erranti? Paucis; qui (l) non corrigit refecâda, committit.* Hujus igitur in primis partium erit, Principibus, quorum is sacramento adstrictus tenetur; Academiae, cujus ipse pars; toti denique Ecclesiæ Evangelicæ, cujus societate gloriatur, aut excusare, aut deprecari, aut tueri denique (si tantum fiduciæ animique superest) vel approbare (si forsan coeptis fortuna faveat) facinora sua. Nobis nihil non ultra adde relubet. Ipse viderit, quâ ratione, aut veniam, aut etiam adfensum (si Diis placet,) atque laudem sperandam assequendamque putet ausui, publica potius, (si rectè rem æstimamus,) deprecatione, atque (ut Ecclesiastica in re Ecclesiastico Vocabulo utamur,) *Exomologesi piando.* At verò ea de re, & quantum meruerit SCHUBARTUS, aliorum notio atque iudicium esto.

Atque hæc Tibi, Amice carissime, sententiam hæc de re nostram roganti, dicenda, & quæ Tibi dixi, etiam cum aliis communicanda putavi; causæ & præsertim Academiae nostræ interesse ratus, non omnium silentio talia velut approbari, neque impunè penitus haberi religionem tam insigni sive imprudentiâ, sive improbitate violatam. Tu verò vale, & quod hæcenus egisti, res Tuas porrò strenuè atque feliciter agere perge. Dab. Vinar. IX. Calend. Maj. clō Idc xcvii.

(i) Gregor. M. Epist. 114. (k) Idem 7. Epist. 6. Indict. 2. (l) Ibid.

V077

pa-
di-
imè
est,
uriâ
m,
ntiâ
re
cul-
lare.
tien-
ttit.
ento
lesia
, aut
re (si
a ad-
fien-
tet
tque
logesi
UIS,
fram
ada
non
aberi
am
ie fe-

ibid.
(a)
(d)



EPISTOLA
T. PFANN
CONSIL. AUL. SA
AD
AMICUM

Tanta est majestatis sacræ
menda reverentia, ut non sol
ab aliis contra religionem dicun
fed etiam ea, quæ pro religione
mus, cum grandi metu ac dif
cere debeamus.

Salvian. de Provid. Lib.

VINARIÆ.
clō lōc xcvii.

yc 41

26. 4. 06.

